

DE SIGNIFICATIONE PLANETARVM.

In domicilio Solis, facit scriptorem bonæ memoriæ, & intellectus, & profundum in omni scientia.

In domicilio Veneris, facit deditum rebus pulchris, magnis uoluptatibus, & & musicis, dat multitudinem amicorum nobilium.

In domicilio proprio, facit ingeniosum, astutum, cautum in omni arte, & scientia industrium, præsertim in Mathematica, Philosophia, Poësi, & arte oratoria. Exit aptus facere omnia quæ uidet.

In domicilio Lunæ, facit hominem bonæ uoluntatis, castum, fidelem, fortunatum in mercatura, habet enim numen peculiare in cancro, quoniam inde mittit antiscium suum in Geminos.

De Luna.



LUNA in domicilio Saturni, facit pigrum, malæ famæ, dat tussim, & malum per tussim, debilitatem uel malum in oculis, mater ipsius habebit aliquam infamiam, morieturq; repente.

In Iouis domicilio, facit inter amicos primum, sicut regem, de bona fama, sed multum Luxuriosum, erit pro maiori parte sanus, & longæ uitæ.

In domo Martis, facit natum practicare cum malis hominibus de mala uita, stabit in periculo submersionis, mater eius morietur subito.

In Solis domicilio, dat practicam, & lætitiã cum magnis dominis, erit infirmus, & debilis in oculis, & uisu, dat dolores capitis, & stomachi, & multam iram.

In Veneris domicilio, facit satis amabilem, habebit utilitatem à mulieribus, & uxoribus.

In domicilio Mercurij, si Luna fuerit, natus erit bonæ uitæ, & intelligentiæ, amabit mulieres iuuenes, erit fortunatus in mercaturis.

In domicilio proprio, cum bono aspectu fortunæ, hoc est Iouis, uel Veneris, dat sanitatem corporis, & conuersationem cum magnis dominis, cum utilitate, & honore. Sed infortunata à Saturno, uel Marte, dat diuersas infirmitates, malum in oculis, & subitam mortem matris, natus erit in periculo in aquis, & itineribus, &c.

CAPVT SEXTVM.

De significationibus domini ascendentis.



SATVRNVS dominus ascendentis in bono loco si non fuerit impeditus, natus erit magnanimus, pius, magnæ exaltationis, notabilis in consilijs. Sed impedito eo, uel in malo loco existente, erit paruæ rationis, & animi, deceptor publicus, occultator suarum cogitationum.

Iupiter dominus ascendentis in bono loco, non impeditus significat, prudentem animo, exaltatum honore regni. Si impeditus uel cadens fuerit, maliciosum, crassi animi, iniuriatorem, deceptorem mendacem significat, & qui plus consumit, quàm lucratur.

Mars dominus ascendentis in bono loco non impeditus, audacis animi, ductorem populi, ac bellatorem uictoriosum facit, habebit nomen principale coram principibus & populis. Et si Mars fuerit in loco malo, uel impeditus, natus erit paruæ animi, maliciosus, inuidus, timidus, suspiciosus, deceptor, multi mali consilij.

Si fuerit Sol dominus ascendentis, liber in bono loco, non impeditus, natus erit locuples, uelociter discens ueram & claram scientiam magnarum rerum, boni & magni nominis. Si uerò Sol fuerit impeditus, uel cadens ab angulis, erit simplicis & leuis